

ut eo citius requiescat; quasi haud ignorans, non multum sibi temporis esse consumendi, mox instante autumnno.

§. 6.

In genere observandum, quod præter rationes jam allatas, quæ vegetationem singularem in alpibus reddunt; ut lumen solare perpetuum, frigus nocturnum tempestatibus exacerbatum, solum pinguidum etc., etiam aliæ accedunt causæ, non minus memorabiles, quam Lapponiæ peculiare, maximique momenti habendæ respectu plantarum, quæ mutationibus facile afficiuntur.

Regio alpina multâ pluviâ quotannis immadescit; terraque ferax aquarum, ex alpibus emanantium, uberrimisque irrigua fontibus, subjacentes regiones fluviis crebrisque torrentibus alluit; quare regio alpina et omnis fere Lapponia scaturiginosa et penitus inundata evadit. Hinc paludes in Lapponia maximæ vastissimæque exstiterunt. Hinc vegetatio singularis maximeque palustris; quippe quæ calamariis et amentaceis maxima parte constituitur. Hinc Lichenum major copia, quam nusquam terrarum; quorum vegetatio in Lapponia fere nunquam, ut multis aliis regionibus, ob nimiam siccitatem interrupta, in fastigium sui generis enixa, miram Lapponicæ gentis œconomiam fundavit.